[82r]

Divus Joannes Nepomucenus
tenera in aetate virtutis et scientiae illustris idea, imitationi studiosae juventuti propositus

Agente pro theatro Perillustri, Nobili, Ingenua et academica mediae classis grammaticae juventute Pragae ad S. Ignatium anno 1734, mense ..., die ...

Argumentum

Suppeditat Sancti integerrima, atque a fama celeberrima vita Joannem perhibens jam a teneris haud vulgari virtute sanctitati suae praelusisse virtutique scientiam insignem sociasse.

Prolusio

Juventuti a Libertate Sirenis adinstar ad naufragium faciendum pellectae Virtus anchoram porrigit Scientiaque comite eandem ad insulas fortunatas perducit.

Clavis personarum

Theolater: Religio; Theophobus: Timor Domini; Eusebius: Pietas; Philocosmus: Amor mundi; Philotheus: Amor Divinus; Pidomenus: Obedientia; Palladius: Genius scientiae; Eleutherius: Libertas.

Inductio I.

Theolater de probe instituenda juventute solicitus Eusebii ad id requirit studium. Philothei insuper et Palladii adversus Philocosmum gnavam deposcit operam.

Inductio II.

Philocosmus ab Eleutherio accipiens indies asseclarum suorum numerum crescere plausus agit de eisque sibi amplius devinciendis media assumere statuit.

Inductio III.

Eusebius et Philotheus monitis Theolatri insistentes ludum Palladii subintrant et in hoc Joannem prae aliis manuducente Theophobo et Pido-[**82v**]meno non modo salutaribus principiis institui, sed et insignem in virtute ac literis prosectum facere laeti accipiunt deque futuro gloriae ejusdem summo incremento haud vane praesagiunt.

Inductio IV.

Eleutherius in societatem Joannis sese insinuaturus in album discipulorum a Palladio suscipi flagitat; sed agnitus ab Eusebio tanquam hostis juventutis perniciosissimus rejicitur.

Inductio V.

Joannes curae Philothei et Palladii adversus Philocosmum susceptae correspondens ingens in Theolatro et Eusebio concit gaudium.

Inductio VI.

Philocosmus Eleutherii irritos impensos conatus dolenter intelligens ad Joannem sibi devincendum Cosmogenis et Vanophili industriam exigit.

Chorus

Virtus cum Scientia Sponsae Caelestis excita Cantico: *Flores apparuerunt in terra*. Canticum canticorum 2. v. 12.[a] inter plantaria sua florem novum, nitore et odore eximium, qui *flores supereminet omnes* (Claudianus) conspicientes, mire eodem deliciantur Joannisque floridam a virtute et scientia aetatem symbolice illustrant.

[a] Ct 2,12: *Flores apparuerunt in terra tempus putationis advenit / vox turturis audita est in terra nostra.*

Inductio VII.

Joannes impulsu Eusebii et in comitatu Theophobi ac Pidomeni domum Magnae Gratiarum Matri (quae in statua sub Viridi Monte religiose colitur) dicatam in domum orationis eligit ibique eximius almae Virginis evadit cultor Parthenius.

Inductio VIII.

Inde reduci futuro Joanni Cosmogenes et Vanophilus ad hunc sibi devincendum sensuum diversa instruunt irritamenta, sed haud secuto effectu.

Inductio IX.

Memor enim Joannes salutaris sibi dati principii ex Siracide c. 6. v. 13.:[b] *ab inimicis tuis separare et ab amicis tuis attende*, societatem horum declinat amicitiamque prius deligendam, quam diligendam, nec cuivis dextram injiciendam esse pulchro docet exemplo.

Inductio X.

Hujus probatam virtutem et constantiam in bene coeptis celebrante Theolatro aemuli Joannis meliora aemulari charismata illius constituunt.

Inductio XI.

Palladio concertationem suis indicente Joannes Eusebii monito ductus ad Caelites sedemque Sapientiae[c] Virginem Divinissimam refugium accipit nec absque fructu.

Inductio XII.

Palmam enim ex literarum profectu aemulis suis praeripiens, victor ex utroque, a virtute scilicet et scientia summa cum sui gloria enunciatur.

Epilogus

Joannis tenera adhuc in aetate virtutem ingentem et literarum profectum extollens, eundem imitandum studiosae Juventuti commendat addito illo Divi Augustini serm. 30. De Sanctis monito: *Imitari non pigeat, quem celebrare delectat.*[d]

A. M. D. G.

---

[b] Sir 6,13: *Ab inimicis tuis separare et ab amicis tuis adtende.*

[c] *Sedes Sapientiae* – jedna z invokací Panny Marie v loretánské litanii.

[d] Augustinus, Sermones 225: *Solemnitates enim Martyrum exhortationes sunt Martyriorum; ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.*